

PRIMI PARALI.

erificiis: altera ex imbecillitate ipsius Davidis contracta ex visione percutientis angelii, qua detinebatur ne posset ire ad excelsum Ghabaon ad requirendum Elohim. nimio enim fuerat timore perterritus videns gladium angelii domini. Non tam ad excusandum Davidem quam ad manifestandum punitionem ipsius scribitur, quod tam perterritus fuit videndo percussorem angelum ut redditus fuerit impotens ad eundum ad altare Dei quod erat in excelso Ghabaon: ut hinc intelligamus non parvam agitatem contraxisse inde Davidem.

CAPVT. XXII.

Igitur David. Non solum intellexit, sed etiam manifestauit aliis. hec est domus Dei. Hebraicè habetur. hac ipsa domus Iehouah Elohim. Tam ad præterita quam ad futura refertur hoc dictu. area enim antedicta demonstratur per pronomen hæc, quæ in monte Mori'iah (ut in tertio capitulo secundi libri suu iungitur) est: ipsa est in qua oblatus fuerat olim Ishac. Et ex eo quod dicitur ipsa domus Iehouah Elohim, creditur qd ipsa sit appellata à Iacob domus Dei videntib[us] ibidem angelos ascētentes & descēdentes: futura autem ibib[us] domus Dei manifestatur. & hoc altare in holocaustum Israeli. Non sit demonstratio personalis, sed simplex. hoc est non demonstratur illud altare ab eo edificatum, sed altare ibidem successorum illi cum edificatum fuerit templum. ita quod nō templum duntaxat, sed etiā altare pro holocausto ibidem electum à Deo manifestat. Et ob hanc causam finaliter misit Deus angelum super illa aream, misit igne de celo super holocaustū ibidem, & mādavit ut cessaret clades. hæc enim omnia ordinata sunt ad demonstrandū Davidū electū à Deo pro templo. & præcepit ut cōgregarentur omnes proselyti de terra Israei. Hebraicè habetur. Et dixit David ad cōgregandum peregrinos qui in terra Israei. An peregrini isti essent proselyti nihil scribitur, nec habetur hebraicè præceptum aliquod: sed quod David dixit ut cōgregarentur peregrini. & constituit latomos ad cædendos lapides & poliendos. Hebraicè habetur. ad cædendum lapides dolatos. peregrinos enim peritos in huiusmodi arte fuisse, testatur indigentia artificum externorum ad edificandum domū Davidis suprascripta. ad edificandum domum Dei. Nomen est Elohim. Ferrū quoque plurimum ad clavos ianuarii. Hebraicè habetur. ad ostia portarum & cōmissuras præparauit David. tria enim scribuntur: videlicet

ad

CAPVT. XXII.

364

ad clavos, ad ostia & ad commissuras. Quod autem in vulgata æditione additur, atque iuncturas, non habetur in hebreo. & aris pondus innumerabile. Hebraicè habetur. & in multitudine sine pondere. tanta enim erat quantitas ut non ponderaretur. Et ligna cedrina non poterant assimilari. Hebraicè habetur, absque numero. hoc est quod tanta erat multitudo ut nō numeraretur, quia attulerunt Zidonij & Tyrij ligna cedrina in multitudine Davidi. Et dixit David; Selomo filius meus puer parvus est & delicatus. Hebraicè habetur. puer & tener, sed pueri nomen apud hebreos frequenti vsu extēditur ad adolescentes etiā post ætatem idoneam ad bellū. Nescitur enim eras Salomonis tempore mortis Davidis. tēpus tamen regni manifestat qd iuuenis erat non puer; & propterea David adolescentia Salomonis inter causas supputat inducentes ipsum ad præparandum opportuna ad domum Dei. domus autem quam edificare volo domino talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur. Hebraicè habetur. & domus edificanda lebōnah ad magnificandum in supra ad nomen & ad gloriā in omnibus terris. Altera causa ex excellentia domus edificanda scribitur, & est sensus quod domus edificanda summo Deo, supremæ erit magnificētia, sicut & nominetur & glorificetur in omnibus terris. præparabo ergo ei necessaria: & ob hanc causam ante mortem suam omnes præparauit impensis. Iuxta hebraum habetur. & præparauit David in multitudine ante mortem suam. Nō dicitur quod omnes parauerit sumptus nec quod omnia præparauerit necessaria (hæc enim interpres addidit) sed & quod dispositus se præparatur, & quod præparauit in multitudine: hoc est multa.

Vocauitque Selomonem filium suum: & præcepit ei ut edificaret domum domino Deo Israei. Dixitque David ad Selomonem: filii mi fuit in corde meo ut edificarem domum nomini domini Dei mei. Sed factus est ad me sermo domini dicendo. Hinc appetet quod præter revelationem factam Nathan prophetæ habuit David revelationem diuinā factam sibi multum sanguinem effusisti. Nō parua est quæstio quare inhabilis cœfatur David ad edificandum templum ex eo quod magna bella fecit & sanguinem multū fuderit. bella enim iusta fecerat, & similiter multitudinem sanguinis iuste fuderat. Solutio est duos fuisse status in veteri testamento: alterū acquirendi terram præmissionis, alterum fruendi illa, & status quidem acquirendi

Zz iiiij fuit

PRIMI PARALI.

fuit status bellicus : status autem fruendi erat suapte natura
status pacificus. & propterea primus status incongruus erat
ad ædificandum templum Deo: vt pote vacans bellis & non
adhuc parva terra proprij regni alter vero status valde aptus
fuit ad ædificandum templum : vt pote subacta iam terra &
quiete adepta, Dauid itaque ideo inhabili ad ædificandum
templum Dei censetur, quia sanguinem in multitudine effudit
magna faciendo bella: hoc est quia pertinebat ad statum
bellicum , statum inquietum ac sanguinis effusum ad
acquirendam integrum promissionis terram: & non propter
peccatum. In cuius signum è regione ipsius Dauidis eligitur
filius eius ad ædificandum templum in statu quietis subacta
iam vniuersa terra promissa à Deo, quād erat in statu frēdi
terra. Cōsidera prudens lex & subiuncta verba Dauidis tū
ad Salomonēnum tum ad principes: & pergente in hunc sensu
tendere hanc rationem. & plurima bella bella. Hebraicē
habetur. & magna bella fecisti. Similiter cū subditur . non
poteris ædificare. Hebraicē habetur. non ædificabis domum nominis
meo. Et similiter cū subiungitur. tanto effuso sanguine. Hebraicē
habetur. quia sanguines multos effudiſi in terram coram me. Et di-
cendo in terram coram me, insinuat quod de effusione san-
guinis approbata immo mādata à Deo pro terra promissio-
nis integrē acquirenda & tuenda loquitur. Filius qui nascetur
tibi. Hebraicē habetur. Ecce filius natus erit tibi . Non nascitus
sed natus significatur Salomon tempore quo Daudi fa-
cta est hæc quam refert revelatio. erit vir quietissimus . Iuxta
Hebræū habet, ipse erit vir quietus. Et de qua quiete sit sermo,
explanatur subiungendo, & requiescere faciam eum ab omnibus
inimicis suis in circunis: & ob hanc causam pacificus vocabitur.
Hebraicē habetur, quia Selomo erit nomen eius. Selomo enim
hebraicē sonat latīnē pacificus. Et est sensus q̄ res respōdebit
nomini. & pacē & oīam dabo in Israel. Hebraicē habetur.
& pacem & quietē dabo super Israel. Hebraico more maius p̄-
ponitur minori: prius pax deinde quies populi significatur.
Ecce res nominis pacifici. cum ēis diebus eius . Superfluit cun-
ctis. Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium
& ego ero ēs in patrem Exposuimus hæc z. Reg. 7. & tu anno-
tabis hinc haberi quod ad literā hæc verba dicta sunt de Sa-
lomone, firmabōque. Iuxta Hebræum habetur. & dirigam so-
lium regni eius. Non dicit quod dirigam eum ad regendum ia-

per

CAPVT XXII.

365

perpetuum, sed quod dirigā sedem regni eius: quod spectat
ad successionem filiorum eius. super Israel usque semper. In-
tellige hoc quemadmodū & præcedētia: videlicet nisi posue-
rit obicem gratia meæ. nullus enim filius Salomonis regna-
uit super Israel propter peccata ipsius Salomonis ; quemad-
modum nec perseuerauit in veneratione Dei tanquā patris.

Nūc ergo fili mi sit dominus tecum, & prosperare & adifica do-
mum domino Deo tuo. Hebraicē habetur. Nunc fili mi erit Ieho-
nah tecum: & prosperaberis & adificabis domum domini Dei tui,
sicut locutus est super te. affirmat siquidem futurā executionem
promissorum à Deo quo ad hæc tria. Dēque tibi dominus pru-
dentiam & sensum, ut regere possis Israel & custodire legem domini
Dei tui. Hebraicē habetur. Tantum dabit tibi Iehovah intelle-
ctum & intelligentiam, & precipiet tibi super Israel : & ad custo-
diendum legem Iehovah Elohe tui. Tribus beneficiis futuris ad-
iungit duo alia singulare, quorum primum est acumen in-
tellectus: alterum est cura ut populus Israel viuat secundum
legem diuinam. Et singularitas quidem significatur dicendo
tantum tibi, exclusis ceteris filiis meis ab huiusmodi donis.
acumen vero intelligendi significatur dicendo intellectum
& intelligentiam: ut intellectus referatur ad donum manēs,
intelligentia autem ad exercitationem intelligendi. cura au-
tem, dicendo præcipiet tibi super Israel etiam ad custodiē-
dum &c. Et hinc habes quod regi incumbit cura ut populus
viuat secundum legem Dei. Tunc enim proficerē poteris. luxta
Hebræum habetur. Tunc prosperaberis si custodies ad faciendum
statuta & iudicia. Affirmauerat futuram prosperitatē: de-
clarat modū rationem prosperitatis si ipse rex seruauerit le-
gem diuinam. simūlque declarat quod nō sufficit regi quod
populus viuat secundum legem, sed quod ipse rex debet esse
primus in obseruatione legis, que præcepit dominus Moysi ut
doceat Israel. Hebraicē habetur, que præcepit dominus Moysi su-
per Israel. Ne Salomon minus estimaret legem Mosis vt pote
hominis , manifestat legem datam à Deo Mosis super Israel.
raborare, & confortare, ne ismeas neque paucas.

Ecce ego in paupertatula mea. Hebraicē habetur. Et ecce in
paupertate mea, relatiū enim ad Deum pauperē se agnoscit.
præparauit impensis domus domini. Hebraicē habetur. præparauit
pro domo Iehovah . Res autem præparatas subiungit, aurum
argentum & ferrum, ligna & lapides. aurū centum millia talen-
torum

PRIMI PARALL.

terum & argenti mille milia talentorum, aris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine. Hebraicè habetur, quia in multitudine fuit, redditur enim ratio non ponderandi magna multitudo. lignaque & lapides preparavi ad uniuersa impendia, iuxta Hebræum habetur. & ligna & lapides preparavi, & super ea addes. Agnoscit David non sufficere parata ab ipso: & propterea mandat filio ut addat ad hoc ut perficiatur templum Dei. Habis quoque plurimos artifices, latomos & cementarios artificesque lignorum: & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, in auro, in argento, & in are, & in ferro cuius nō est numerus. Clausula hac iuxta Hebræum habetur. Et tecum in multitudine factores operi, incisores & artifices lapidum & lignorum: & omnis sapiens in omni opere, ad aurum, ad argentum, & ad aē, & ad ferrum sine numero. Non solum res, sed artifices & operarios præparasse se manifestat David sine numero, surge & fac, & erit dominus tecum.

Pacepit quoque David cunctis principibus Israel ut adiunarent Selomonem filium suum. Cenitus inquit quod dominus Deus vester vobis cum sit, & de lexit vobis requiem per circulum unitum. Futuri temporis est dederit, & tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subiecta sit terra coram domino. Hebraicè habetur, quia dedit in manam meam habitatores terre, & erit acquisita terra coram Iehouah & coram populo eius. Ex istis colligitur sensus supradictorum verborum. Dei ad Davidem. Præbete igitur corda vestra & animas vestras ad querendū dominum Deum vestrum: surgiteque & edificate sanctuarium domini Dei. Dictione interpretata Dei est nomen Elohim, ad introducendū arcā fæderii domini & vasa domino consagrata. Hebraicè habetur, & vasa sanctitatis Elohim in domum edificata nomini domini.

CAPVT XXIII.

David autem erat senex & plenus. Hebraicè habetur, & satur dierum. Relatiuè ad cōplexionem Davidis saturitas dierum scribitur: quantiam absolutè non erat excelsius senex, cum septuaginta nō excederit annos. constitutus Salomonem. Clarius hebraicè dicitur, & fecit regnare Selomonem filium suū super Isræl. Viuēs enim surrogauit eum in regem posuitque in possessionem regni: vt diffusè scriptum est in tertio lib. Reg. Et cōgregauit omnes principes Isræl, & sacerdotes atque Lenitas. Numeratique sunt Leuitæ à viginti annis. Corrupta est litera: nam Hebraicè habetur.

Et

CAPVT XXIII.

366

Et numerati fuerunt Leuitæ à filio triginta annorum & supra. Et quidem textas trigesinta annorum in lege Mosis numeri quarto decreta est: & propterea iuxta legem numerati sunt Leuitæ à trigesimo anno. Quod autem adiungitur & supra sine termino in lege Mosis statuto, hoc est vsq; ad annum quinquagesimum: vel tanquam subintelligendū relatum est, vel quia ratio termini cessasse videtur (imbecillitas scilicet ad sufficēda onera, eo quod templum stabile ædificabatur) ideo numerati sunt à trigesimo anno & supra absque termino. Et inuenta sunt trigesinta eto millia virorum.

Ex his electi sunt & distributi in ministerium domus domini. Iuxta Hebræum habetur. Ex ipsis ad fortiter agendum super opus domus Iehouah vigintiquatuor millia. Ad exercendum cōmunitia Leuitarum opera deputati sunt isti, præpositorum autē & iudicium sex millia. Vnum atque idem officium duabus nominibus significatur: altero dignitatis, altero officii iudicaci. erat enim isti Leuitæ tāquam patres conscripti ad discernendū & ius dicendum in domo domini. Et quatuor millia ianitorū. Cōmuni nomine appellantur ianitores illi quibus commissa est cura non solum ianuarum templi, sed ianuarum rerum spectantium ad ea quæ erat templi. & totidem psaltes canentes dominum in organis quæ fecerat ad canendum. Heb. habetur, et quatuor millia laudantium Iehouah in vasis quæ feci ad laudandum. Ex eo quod in prima persona dicitur feci, intelligimus in persona Davidis hæc scripta: ad insinuandum quod ipse fecerat instrumenta musica. Collige summas: & videbis distributos omnes trigesinta eto millia numeratos.

Et distribuit eos David per vices filiorum Levi. Hebraicè habetur. Et partitus est eos David partes filii Levi. hoc est secundū partes filiorū Levi qui fuerunt tres: vi: scilicet Cehath Gherſo & Merari, vnde & statim eos nūerat. Gherſon, Cebath & Merari Gherſonius Lah'dan & Simhi, Filii Lah'da principes, Iechiel et Zethā & Iobel tres, Filii Simhi Selomith & Cha'ziel & Haran tres: isti principes familiarū Lah'dan. Perplexa oris questione, q; demōstrātur per p̄nomē isti. nā prænumerati sunt tres filii Lah'da & tres filii Simhi: quō ergo vtriq; demōstrāt spestantes ad Lah'da? Solutio est ambigua, an vnicus nominetur Simhi an sint duo eiusdem nominis. Diuinādo aut̄, rationabilius credimus duos nominari Simhi: alterū fratrē Lah'dan, alterū nepotē: hoc est filiū filii Lah'dan, cuius specialis fit méto.

quia

quia ex eo constitutæ sunt multæ familiae Iah' dan. Porro filii Simhi Iachath, Zina & Iehus & Beriha; isti filii Simhi quatuor. Et fuit Iacath caput & Zina secundus; Iehus autem & Beriha non multiplicaverunt filios, & fuerunt domini patris in numeratione una.

Filiis Cehath Hamram, Iizhar, Cheb'ron & Huzziel quatuor. Expeditus familias Gherson, venitur ad familias Cehath. Filii Hamram, Aharon & Moses: separatioque est Aharon ut ministraret in sancto sanctorum. Hebraicè habetur, & separatus fuit Aharon ad sanctificandum sanctum sanctorum ipse & filii eius usque semper. Appellarur hic sanctum sanctorum (sicut saepe alibi) uniuersitas reseruatorum sacerdotis officio seu dignitati; ad hæc enim sanctificanda ordinabatur in primis sacerdotium, & adoleret incensum domino secundum ritum suum. Hebraicè habetur, ad thurificandum coram domino, ad seruendum ei & ad benedicendum in nomine eius usque semper. Officia sacerdotis cōmemorantur declarando Aharon cum semine suo fuisse separatum diuina electione etiam à cōtribubibus ad fungendum sacerdotio in sempiternū. Moses quoq; viri Dei. Nomen est Elohim: eo quod Moses legem accepit à Deo &c. cognominatur vir Elohim. filii annumerati sunt in tribu Leui. Et filii Moses, Gherson & Elihezer. Filii Gherson Seluel caput. Fuerunt autem filii Elihezer Rechab'ia caput: & non fuerunt Elihezer filii alii, filii autem Rechab'ie multiplicati sunt valde. Filii Iizhar Selomith caput. Filii Cheb'ron: Ieri'ahu caput, Amar'ia secundus, Iacha'zel tertius, et Lecamham quartus. Filii Huzzielis: Micha caput, & Iis'ia secundus.

Filiis Merari. Ad tertium filium Leui descenditur Mach'li & Musi: filii autē Machli Elazar & Cis. Mortuus est autē Elazar & non habuit filios, sed filias: accepteruntque eas filii Cis fratres eorum. Filii Musi, Mach'li & Heder & Jeremoth tres.

Isti filii Leui per domos patrum suorum principes per vices & numerum capitum singulorum. Hebraicè habetur, principes familiarium ordinationibus suis in numero nominum capitum suorum. Epilogus est, manifestans & numeratos esse per capita principum & seruatum esse ordinem familiarium, facientes opus in ministeriū domus domini: à filio viginti annorum & supra. Quæstio oritur ex eo quod in principio huius capituli dicitur numeratos fuisse Leuitas à triginta annis & supra: quomodo igitur modo dicitur à filio viginti annorum & supra? Solutio est quod numeratio facta est secundum legem Moses à triginto

gesimo anno & supra: & in tali ætate inuenta sunt triginta octo millia, sed post numerationem extensem est officiū Leuitarum usque ad ætatem viginti anni: ita quod decretum est ut admittentur ad Leuitica officia Leuitæ omnes à filio viginti annorum. Author autem & ratio huius decreti noui subiungitur in litera. *Dixit enim David.* Ecce author noui decreti. *requiem dedit dominus dux Israël populo suo.* Ecce ratio noui decreti. & habitacionem Ierusalem. Hebraicè habetur, & habuit in Ierusalām usque ad semper. Quies populi in terra promissionis cū electa habitatione diuina in Ierusalem perpetua: hoc est templo Dei ibidem ratio redditur noui decreti. Et ad hoc magis explicandum subiungitur exonratio Leuitarum à labore portandi tabernaculū & omnia pertinentia ad illud. ex eo enim quod loco tabernaculi fiebat templum immobile, cessabat labor Leuitarum ad portādum tabernaculum & quæ illius erant de loco ad locum Hanc enim rationem interpretatus est David fuisse occasionem ætatis limitata à Mose: & propterea cessante labore mutauit limites ætatis. Et etiam Leuitæ non habebunt portare tabernaculum & omnia vasalia cius ad ministerium eius.

Iuxta præcepta quoque David nouissima supputabitur numerus filiorum Leui. Hebraicè habetur. *Quia in verbis David posterius numerus filiorum Leui: à filio viginti annorum & supra.* Ecce conclusio scribitur quod post hæc postrema verba Davidis numerati sunt Leuitæ à viginti annis & supra. Dicuntur autem verba Davidis postera relatiæ ad verba Moses. Et hinc habes quod quanvis lex Moses data esset à deo, rex tamen mutabat interpretando rationem legis cōgruam fuisse præterito temporis duntaxat. Et erunt sub manu filiorum Aharon, Heb. habetur. *Quia status eorum ad manum filiorum Aharon.* Accumulat rationes noui decreti, ex eo quod habitatio Leuitarum factio templo erit ad manum sacerdotum: hoc est quod ipsa habitatio iuxta sacerdotes erit moderatio Leuitarū infra vigesimum & trigesimum annum. reverebutur enim sacerdotes & domabunt in cultu domus domini, in vestibulis & in exedris & in loco purificationis & in sanctuario: & in uniuersis operibus ministerii templi domini. Hebraicè habetur, ad servitatem domus Iehouah, super atria & super aulas & super mundificationem ad omnem sanctitatem: & opus servitutis domus Elohim, narrantur enim onera Leuitarum: ochoz uero à locis. Quod autem subditur.

ditur. sacerdotes autem super panes. non habetur in hebraico: sed im-
mediatè, subiungitur et pro pane ordinationis & pro flore in mis-
nus, & pro crux tali azymorum, & pro sartagine & ad tenerum: &
ad omnem mensuram & mensuram. Prosecutio est officiorum Leuitarum. eis enim incumbebat præparare hæc sacerdotibus: vi-
delicet panes propositionis, qui ordinariè singulis sabbatis à
sacerdote renouabantur apponendo eos coram Deo: & florem
farinæ pro munere offerendo à sacerdotibus: & sic de aliis. Te-
neri autem nomine grana in spicis significantur: quæorū certa
mensura tosta offerebatur in paschate. & offerre quidem erat
sacerdotum, præparare autem Leuitarum. Mensura autem &
mensura, omnis mēsurandi species describitur: diuersas enim
in templo opportinas fuisse mensuras patet ex lege Moysi.
Leuita vero ut sicut mane ad confitendum & canendum domino.
Nec hoc habetur hebraicè: sed immediate subiungitur. Et
ad standum singulo mane ad confitendum & ad laudandum Iehouah:
& sic vesperi. Prosecutio est officiorum Leuitarum singulis diebus:
hoc est mane tempore holocausti matutini, & vespere tē-
pore holocausti vespertini laudare Deum. Tam in oblatione ho-
locaustorū domini quā in sabbatis & calendis & solennitatibus re-
liquis iuxta numerū & ceremonias vniuersitatis, rei iugiter coram do-
mino. Heb. habetur. Et ad omnes facientes offerre holocausta. Iehouah
ad sabbata, & ad calendas, & ad temporis in numero iuxta ra-
tionē super eos iugiter coram Iehouah. Leuitarū erat laudare Deum
non solum bis in die, sed etiā tēpore cuiuscunque holocausti,
& in specie sabbatis & principiis mensium & tēporibus aliis
numeratis secundū dispositionē legis: ut sunt solēnitates ta-
bernaculorū & azymorū &c. Et custodiant obseruationes taber-
naculi foederis. Iuxtra Heb. habetur. Et custodiā custodiam tentorii
adunationis. Quod antē sequitur: & ritum sanctuarii. Hebraicè
habetur. & custodiā sanctuarii. Et immediate subiungitur. &
custodiā filiorū Aharon fratrum corum. Tres enim custodiæ de-
scribuntur: videlicet tabernaculi, sanctuarii & sacerdotiū. illis
enim tribus vniuersum templi septum cōprehēditur. Taber-
naculum enim erat in medio: postea sanctuarium, in quo of-
ferebatur sacrificia & seruabantur sancta: & demū erat habi-
tatio sacerdotum. ut ministraret in domo domini. Hebraicè habet-
ur. ad seruitutem domus Iehouah. Declaratio est rationis custo-
diæ ultimæ: quare scilicet Levitæ custodire debebant filios
Aharon: quia videlicet erant ibi filii Aharon non pro seipsis,
sed ad seruitutem domus Iehouah.

C A P.

CAPVT XXIIII.

Eorro filius Aharon partitiones eorum erant: filii Aharon
Nadab & Abihu, Elazar et Ithamar. Mortui sunt au-
tem Nadab & Abihu ante patrem suum absque liberis: &
sacerdotio functi sunt Elazar & Ithamar. Et diuisi-
tos David, id est Zadoc. Iuxta Heb. habetur. Et diuisit eos David, &
Zadoc de filiis Elazar, et Achimelech de filiis Ithamar. Inter diui-
sentes supputantur Zadoc & Achimelech simul cum Davide.
Secundum vices suas & ministerium. Hebraicè habetur. ad ordi-
nationem eorum in ministerio eorum. Diuisio sacerdotum signi-
ficatur facta ordinatè distribuendo eos ad propria ministeria
in domo Dei. Inuenti sunt multo plures filii Eleazar in prin-
cipiis viri. Hebraicè habetur. Et inuenti sunt filii Elazar plus
res in capitibus virorum quam filii Ithamar. Maior multitudo
numerando vitos per capita (hoc est singillatim) inuenta est
filiorum Eleazar: nam vt subiuncta testantur, inuenta est
multitudo filiorum Eleazar dupla ad multitudinem filiorum
Ithamar. subiunguntur enim filiorum Eleazar sedecim, fi-
liorum autem Ithamar octo capita: quia habita est ratio ex-
cessuæ multitudinis. & diuiserunt eos: de filiis Elazar capita
per domos patrum sedecim, & de filiis Ithamar per domos patrum
eorum octo. Porro diuisit utrāque inter se & familias sortibus.
Iuxta Hebreum habetur. Et diuiserunt eos in sortibus istos cum
istis. David & Zadoc & Achimelech diuiserunt sacerdotes,
non eligendo, sed sortes mittendo, non seorsum filios Elea-
zar & seorsum filios Ithamar, sed istos cum ipsis: hoc est si-
mul. Hic modus diuidendi seruatus est pro pacifica diuisio-
ne duratura in perpetuum: ne relinqueretur locus querimo-
niae cur ille primus, iste secundus & sic deinceps. erant enim
principes sanctuarii & principes domus Dei. Iuxta Hebreum
habetur. quia fuerunt principes sanctitatis & principes Elohim,
de filiis Elazar & de filiis Ithamar. Ratio redditur quare pa-
riter diuisi sunt sortibus: quia utriusque erant & principes san-
ctitatis (hoc est rerū, locorum & actionum sanctarū) & prin-
cipes Elohim, hoc est non ab homine, sed à Deo electi in p-
atre eorum Aharon.

Descriptijs eo Semah'ia filius Nathan scriba de Leri coram
rege, et principib', et Zadoc sacerdote, et Achimelech filio Eli'athar
& capitibus familiarib' sacerdotialium & Leuiticarū. Hinc apparent
quod Zadoc pontifex erat: alioquin author nominando Zadoc
&

PRIMI PARALI.

& Achimelech, non nominasset solum Zadoc sacerdotem? unam domum quæ ceteris præterat Eleazar, & alteram domum quæ sub se habebat ceteros Ithamar. Iuxta Heb. lōge aliter habet. dominus patris vna capta Elhazaro, & capta capta Ithamaro. Differētia manifeste scribitur inter domos Ithamar & domos Eleazar, penes hoc quod domus Eleazar vna capiebatur forte: domus vero Ithamar capta erat capta. adiungit siquidem author modo diuidendi per sortes istos cum ipsis disparitatem hanc: videlicet q[uod] ex trahendo sortes vna dūtaxat domus ex dominis Eleazar capta sorte, admittetur: hoc est q[uod] si immediate capta esset forte, altera domus etiam Eleazar, non admittetur in illo loco, ne contingent omnes domos Eleazar præferri dominibus Ithamar. in sortibus autē cadentibus super domos Ithamar non erat similis lex, sed quæcūq[ue]; domus esset capta forte, admittetur pro capta: hoc est etiam si immediate multæ domus Ithamar sortib[us] caperentur. Et fuit decreta hæc disparitas ad repensandum disparitatem alteram: videlicet q[uod] domus Eleazar habebant sedecim loca, domus autem Ithamar octo. Divisio itaque sacerdotum facta est sortibus inter istos cum ipsis, concurrentibus tamen duabus disparitatibus, altera primum narrata: videlicet quod Eleazar sedecim, Ithamar autem octo haberet loca. altera quæ modo narratur: videlicet quod domus Ithamar possent (si fors tribueret) multæ immediate iungi: domus autem Eleazar non poterant immediate iungi: vñque ad completas sortes octo Ithamar. At si queris quota erat fors domus Eleazar quæ immediate exibat post aliam domum Eleazar nōcum completis sortibus Ithamar. responderetur quod reserabatur colloquanda immediate post sortem alicuius domus Ithamar primo capta.

Exiuit autem fors prima Ieho'iarib, Iedah'ia secunda. Charim teria, & chorim quarta. Malchi'ia quinta. Mi'siamin sexta. Hacoz septima. Abi'ia octava. Iesuah nona. Secha'iah decima. El'iasib undecima, Iacim duedecima. Chuppe tertiadecima, Ieseb' ab quadragecima. Bilge quintadecima, Immer sextadecima. Chezjin decimaseptima, Pizzez decima octaua. Pethach'ia decimanona, Iechez'el vigesima. Lachin vigesimaprima, Gamul vigesimasecunda. Dela'iah vigesimateria, Mahaz'iah vigesimaquarta. Descripto modo sortiendi, describitur consequenter subsecutus euentus: quem intellige scribi seruato moderamine antedicto. Ha' vices eorum secundum ministeria sua ut ingrediantur domum

CAPVT XXIIII.

369

mum Dei, & iuxta ritum suum, sub manu Aharon patris eorum: sicut precepit dominus deus Israël. Hebraicè habetur. Ita ordinatio[n]es eorum ad ministeria eorum, ad veniendum in domū lehouah, iuxta rationem eorum in manu Aharon patris eorum: sicut precepit ei lehouah Elohe Israëlis. Ad quid factæ sint huiusmodi divisiones narratur: videlicet ad exercenda ministeria sacerdotii in domo Dei per diversas coordinaciones (videlicet vigintiquatuor, & similiter ad veniendum in templum, per hoc enim insinuantur quod non solum officia per vices, sed etiam mansio in templo distributa erat per has vices. Adiungitur autem subiectio eorum summum sacerdoti sicut ius eoru[m] exigit, ut intelligamus summum sacerdotem non comprehendendi sub his divisionibus, sed præesse omnibus. & ne hoc humana attribueretur autoritati, explicatur sicut præcepit deus ipsi Aharon.

Porro filiorum Leui qui reliqui fuerant. Expedita partitione sacerdotium, tractatur partitio reliquorum Leuitarum. Ita quod hæc verba comprehendunt totum residuum tribus Leuiticæ in genere: est enim velut rubrica quædā, ut hebreicus sonat contextus. nō legitur. Et filii Leui residui, subauditur autē fuerunt partitiones subiunctæ. Deinde immediate sequitur, filii Hamram Subael, filii Subaeli Techde'ahu. Rechab'ahu: filii Rechab'ahu caput Iis'ia. Ipsi Iizhari Selomith: filii Selomith Iacharib. Filiis autem Ieri'ahu: Amar'ahu secundus, Iachazel tertius, Iecamham quartus. Filii Huzziel Micha: filii Miche Samir. Fratres Miche Iis'ia: filii Iis'ia Rechar'ahu. Filii Mesiari Mach'u & Musi: filii Lahazi'ahu Beno. Filii Merari de Iahazi'ahu Beno, & Soham & Zacobus & Hib'ri. Ipsi Mach'li Elhazar: & non fuerunt ei filii. Ipsi Cis filii Cis Ierachmei. Filii autem Musi Machli & Heder & Ierimoih: isti filii Leuitarum per dominos patrum suorum. Incipiunt divisiones residuorum Leuitarum à filiis Hamram, ut pote fratribus Aharonitarum.

Miserisque etiam ipsi sortes contra fratres suos filios Aharon. Quod dicitur contra fratres suos, significat è regione fratrum suorum: hoc est è regione vigintiquatuor partitionum sacerdotum, fuit siquidē etiam hæc divisio in vigintiquatuor partes: nam vigintiquatuor personæ commemorantur in litera, ut correspondent vigintiquatuor sacerdotibus, sic ut una portio Leuitica afflisteret vni portioni sacerdotali. Sed remanet dubia duo. Alterum de qua parte Leuitarum est hic sermo.

Aaa superius

PRIMI PARALI.

superius enim in. 23. cap. distributi sunt Leuitæ triginta & octo millia in quatuor partes: videlicet vigintiquatuor millia sine titulo, sex millia praefectorum & iudicium, quatuor milia cantorum & quatuor millia ianitorum. De qua harū partitum est hic sermo, ambigitur. nam diuisio tam cantorū quam ianitorū expressè inferius subiungitur etiam per sortes facta: sed nullæ sortes leguntur circa alias duas partes in specie. Alterum est ad quod officium ordinabantur Leuitæ isti: quoniam in litera non exprimitur. Solutio vtriusque questionis simul est quodd cum in sequentibus capitulis subiungatur partitio tum cantorum, tum ianitorum, tum praefectorum (ut patebit exponendo textum) intelligendum restat quodd diauisio ista fuerit reliquorum Leuiticæ tribus qui erat in maximo numero sine titulo speciali: & propterea nullum eorum speciale officium describitur, sed ad communia Leuitarū officia subeunda diuisi sunt per sortes in vigintiquatuor partes ad ministrandum sub vigintiquatuor sacerdotibus. coram David rege & Zadoc & Achimelech & principibus. Legendum est. & capitibus patrum sacerdotibus & Leuitis. quatuor enim supputantur præsidentes huiusmodi partitioni per sortes: videlicet rex, Zadoc, Achimelech & principes familiarium sacerdotialium ac Leuiticarum. tam maiores quam minores, omnes, sors equaliter dividenda. Sensus redditus: hebraicè autem habetur. patrū caput è regione fratri sui parui. hoc est in huiusmodi sortibus caput familie non erat melioris conditionis quam frater eius parvus. Ita quodd nullius inæqualitatis ratio habita est, sed iuxta ordinem sortium (vt contingebat) prima sors affistebat primæ sorti sacerdotum, & secunda secundæ, & sic deinceps. ad hoc enim iactæ sunt sortes ut determinaretur perpetuus inter eos seruandus ordo sine querela.

CAPVT XXV.

Auid igitur et principes exercitus segregauerunt in ministeriū filios Asaph & Heman & Ieduthun. Partitio cantorum quorū isti tres erant capita, narratur facta autoritate regis & principiū exercitus. ita quod sorte ista tria capita sunt ex Leuitis assumpta, sed auctoritate regis & principiū exercitus. qui prophetaret. Hebrei habent prophetantes in cithara, in psalteriis & in cymbalib. Alias diximus prophetare sumi pro vacare diuinis laudibus, quod

CAPVT XXV.

370

quod tunc siebat adhibitis instrumentis musicis: & propterea hic nō describitur absolute prophetates, sed prophetates in musicis instrumentis, secundū numerū suum dicato sibi officio servientes. exta Hebreum habetur. & fuit numerus eorum, viri operis ad ministerium eorum. Velut rubrica est subiunctorum: videlicet quodd numerus filiorum istorum trium fuit qui subiungitur, similiq[ue] manifestatur qualitas subiunctorum filiorum: videlicet quodd erat viri operis ad ministerium patrum: hoc est ad ministerium prophetandi in instrumentis musicis. appellant enim viri operis, viriscentes & valentes effere opus.

De filiis Asaph. Et hoc velut rubrica subiunctorum est: nam quatuor enumerantur. Zaccur & Ioseph & Nethā'ia & Asar'ela. & subiungitur de ipsis. filii Asaph super manum Asaph: hoc est ininitentes manu. Asaph tanquam principali in huiusmodi. prophetantes iuxta regem. Hebraicè habetur. prophetantiū super manus regis. Non de filiis, sed de ipso Asaph dicitur & prophetabat super manus regis. filii siquidem quo ad opus musicum innitebantur patri, conformates actiones & voces secundum artem patri: ipse autem Asaph prophetabat in initius operibus Davidis regis, eo quod & voce & sono modulabatur hymnos æditos à Dauide rege.

De Ieduthun. Numeratis quatuor filiis Asaph, narratur progressus ad Ieduthun. filii Ieduthun. Genitiū casus est Ieduthū in textu hebraico. Ghedā' iahū & Zesi & Iesā' iahū, Chasab' iahū & Matihith' iahū sex super manus patris eorum Ieduthūn in cithara. Insolubilis surgit quæstio, sc̄a litera vt sonat: quoniā filii Ieduthun dicuntur sex, & tamē non numerantur nisi quinq[ue]: & oportet esse sex tū ad verificandū istam literā, tum ad verificandum integrū numerū vigintiquatuor filiorū istorum trium: Asaph, Ieduthun & Heman. Et ipsius quidē Heman litera subiungit quatuordecim filios: Asaph autem numeravit quatuor: & Ieduthun sex, quorum tamen quinq[ue], tamē explicantur, & propterea credendum est errore scriptorum omissionē esse nomen sexti filii Ieduthun. Argumentum autem magnum huius erroris habetur ex sorte decima. In subiunctis enim vigintiquatuor sortibus cantorum repetuntur istorum filiorū nomina: & in sorte decima scribitur nō men. Semeiz in vulgata editione, hebraicè autem Simhi, qui solus nō inuenitur nominatus hic iter filios Asaph Ieduthun

Aaa ij &

PRIMI PARALL.

& Heman. ex eo enim q̄ cæteri filii hic nominati repetūtur in sortibus (singuli in singulis sortibus) & iste unus ad integrādum numerum viginti quatuor, insumatur quod iste est sextus filius Ieduthun, non solum prænumeratus, sed sicut alii prænominatus vitiōq; scriptoris omisſus in hebraicis codicibus, qui prophetabat super confitentes & laudantes dominum. Hebraicē habetur, super confessiones & laudare Iehosah. Inter cōfiteri & laudare hæc est differentia, quod confiteri est affirmare, laudare autem est commendare. Applicando autem hæc ad diuinam, quia quicquid verè affirmatur de Deo laudabile est, ideo confunduntur confessio & laus diuinorum, directe tamen confiteri diuina est affirmare illa, laudare vero est affirmare commendando.

Heman quoque, Hebraicē similiter habetur. Ad Heman. sic enim significatur p̄gressus ad Hemansicut etiā scriptum est hebraicē ad Ieduthun. & immediate subiungitur, filii Heman. Et est casus genitui Hemā: ut etiā cōvincit ex numero filiorū subiunctōrum, nā subiungitur quatuordecim filii Hemā: & textus ipse dicit esse quatuordecim. Bucci' iahu, Matthā' iahu, Huzziel, Sebuel & Ierimoth, Chanān' iahu, Chanant, Eli' atha Ghiddalhi & Romāth' hezr, Isobechasa, Malloishi, Hothis, Ma-chazi oth. Omnes isti filii Heman vidētis regis in sermonibus Dei ut exaltaret cornu. Iuxta heb. habetur, vidētis regi in verbis Elohim ad exaltandum cornu. Describitur Heman verè propheta ex eo quod appellatur videns, describitur fide dignus & in precio habitus à rege, dicendo videns regis. Describitur veritas seu authoritas visionis, dicendo in verbis Elohim: ad manifestandum quod non erat videns figura aut somnia, sed in verbis Dei. simulque manifestatur quod visiones suas notificabat in verbis Elohim: hoc est cū testimonio diuinæ authoritatis loquens. Describitur demū materia visi & manifestata in verbis Elohim, dicendo ad exaltandum cornu, proculdubio Israelis: hoc est ad exaltationem futuri Mesiae, qui est cornu salutis ex Israel ex progenie Davidis. intelligimus enim per hoc quod Heman prophetabat de exaltatione Mesiae: deditq; deus Heman. Nomen est Elohim, filios quatuordecim & filias tres. Vniuersi. Heb. habetur. Omnes isti super manus patris sui in cantu domus domini in cymbalis psalteriis & cithariis. Et demonstrantur vniuersi vigintiquatuor prænumerati: ut testatur subiuncta, videlicet quod erat sub Asaph Ieduthun & Heman.

CAPVT XXV:

371

Heman. quilibet enim filii sub p̄prii patris manu erant in ministeria domus Dei. Nomen est Elohim, iuxta regem. Heb. habetur, super manus regis, Asaph & Ieduthun & Heman. Cōnumeratur rex inter eos quibus innitebantur isti vigintiquatuor, eo q̄ David rex & faciebat hymnos quos psalmos dicimus, & distribuebat cantoribus: vi tituli p̄almorum testantur.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum domini, cuncti doctores. Iuxta Heb. habetur, docti in cantu Iehosah: omnis intelligens ducenti et octoginta octo. Duæ cōditiones describunt istorum ducentorum octoginta octo: altera quod erant docti in canticis summi Dei, altera quod non erant qualitatem, docti sed prædicti intelligentia. Misseruntque sortes per vices suas. Hebraicē habetur, custodia ē regione. Et subauditur sacerdos, significatur enim quod misserunt sortes ad hoc ut prima custodia cantorum ē regione responderet prima portioni sacerdotum, & secunda secundæ, & sic deinceps, ex aqua tam maior quam minor, doctus pariter & indoctus. Iuxta Hebreum habetur, sicut parvus sicut magnus, intelligens cum discente. Nulla inæqualitatis ratio habita est.

Egressaq; est sors prima Ioseph qui erat de Asaph. Quanvis heb. habeat, sors prima ad Asaph ad Ioseph; Ghedal' iahu secunda ipse & fratres eius & filii eius duodecim. sensus tamē optimè redditus est. Sribitur enim quod sors prima exiuit ad Asaph hoc est ad domum Asaph, ad personā autem Ioseph qui inter filios Asaph supputatus est secundus: secunda autē sors exiuit ad primū filium Ieduthun. Quæ ideo annotauerim ne cōfundatur lector. Vnum tamen admiratione dignum relinquitur, q̄ in cæteris sortibus fit mentio duodenarii numeri & in sola prima tacetur. Nescio diuinare cur hoc acciderit. illud tamen certum est quod similis numerus subintelligendus est in prima sorte: alioquin nō adæquarent vigintiquatuor sortes supradictum numerum ducentorum & octoginta octo, oportet enim distribuendo per numerum duodenarium exhauste ipsum in vigintiquatuor portiones. & forte errore scriptorū omisſa est. Tertia Zaccuri filii eius & fratres eius duodecim. Quarta Iizri: filii eius & fratres eius duodecim. Quinta Nathan' iahu: filii eius & fratres eius duodecim. Sexta Bucci' iahu: filii eius & fratres eius duodecim. Septima Iesar' ele: filii eius & fratres eius duodecim. Octava Iesah' iahu: filii eius & fratres eius duodecim. Nonna Matthā' iahu: filii eius & fratres eius duodecim. Decima

Aaa iiiij Simhi;

PRIMI PARAL.

Simhi: filii eius & fratres eius duodecim. Undecima Haxar'eli: filii eius & fratres eius duodecim. Duodecima Chasab'ia: filii eius & fratres eius duodecim. Tertiadecima Subaeli: filii eius & fratres eius duodecim. Quartadecima Marthith'ahu: filii eius & fratres eius duodecim. Quintadecima Teremosh: filii eius & fratres eius duodecim. Sextadecima Chan'a'ahu: filii eius & fratres eius duodecim. Decimaseptima Losbeca'e: filii eius & fratres eius duodecim. Decimoctava Chanani: filii eius & fratres eius duodecim. Decimanova Mallothi: filii eius & fratres eius duodecim. Vigesima Eli'athae: filii eius & fratres eius duodecim. Vigesimaprima Hothir: filii eius & fratres eius duodecim. Vigesimasecunda Ghiddalbi: filii eius & fratres eius duodecim. Vigesimatercia Machaz'i'othi: filii eius & fratres eius duodecim. Vigesimaquarta Romamih'i'hezer: filii & fratres eius duodecim.

CAPVT XXVI.

Biuisiones ianitorum, de Corchitis Meselem'ahu filius Cora de filiis Asaph. Et Meselem'ahu filii: Zechar'ahu primogenitus, Iedihael secundus, Zebad'ahu tertius, Iathniel quartus. Hela quintus, Lebohanan sextus, Eliehobenai septimus. Expedita partitione cantorū, describitur diuilio ianitorū, numerando primo capita ianitorum secundum diuersas familias, et Hobed' edom filii: Semah'ia primogenitus, Ichorabad secundus, Iosah tertius, & Sachar quartus, & Nethan'el quintus. Hammiel sextus, Iisachar septimus, Pehullethai octauus: quia benedixit ei deus. Nomen est Elohim. Et refertur hoc ad explicādum fructum diuinæ benedictionis ex area Dei in domo eius superius scriptæ: hic est enim Hobed' edom ille. Semah'ia autem filio eius nati sunt filii dominantes domini patrum suorum: quia potentes fortitudine erant. Filii Semah'ia Hothir & Raphael & Hobed Elzabad fratres eius filii fortitudinis: Elihu et Semach'ahu. Omnes filii de filiis Hobed' edom ipso & filii eorum & fratres eorum viri fortissimi ad ministerium: sexagesimaduo de Hobed' edom. Et Meselem'ahu filii & fratres eorum filii fortitudinis decem & octo. Et Chos'e de filiis Merari filii, Simri princeps non enim habuerat primogenitum. luxta heb. habet. quia non fuit primogenitus, & posuit eum pater eius in principem. Non dicitur q[uod] pater nō habuerat primogenitum (cum impossibile fuerit patrem tot filiorū nō habuisse primogenitū) sed dicitur duo. alterū q[uod] iste Simri non fuit primogenitus: alterū q[uod] pater eius posuit ipsum in principē seu caput. Quare autem

CAPVT XXVI.

372

autem hoc effectum fuerit, non est scriptum: forte moriens erat primogenitus. Et quanui siste non fuerit etiam secundus, prælatus tamen est fratribus à patre. Et hunc sensum sonat planus contextus litera Hebraicæ, nam reddit rationem quare pater eius præfecit ipsum, quia non fuit primogenitus: hoc est quia primogenitus non erat viuus. Chilci'ahu secundus, Tebal'ahu tertius, Zechar'ahu quartus; omnes filii & fratres Chos'e tredecim.

Hic diuisi sunt in ianitores, ut semper principes custodiarum sicut & fratres eorum ministrarent in domo domini. Iuxta hebreum habetur. Istis diaisiones ianitorum in capita virorum, custodia ē regione fratribus suorum ad seruendū in domo Iehouah. Pronomen istis demonstrat prænominatos, ad manifestandum ianitorum officiū distributū esse istis. modus autē distribuēdi subiungitur in capita virorum: hoc est per capita prænominatorum principū. Q[uod] autē subditur custodiā ē regione fratru[m] suoru[m], rationem diuidēti significat: ut videlicet quem admodū fratres eoru[m] ordinatē diuisi erat ad ministrādū in domo Dei, ita ipsi correspōderent in propriis officiis ordinatē distincti ad seruēdū in domo summi Dei. Misæq[ue] sunt sortes ex aequo parvis et magnis per familias suas ad vñāquāque portarū. Ecce differentia inter sortes ianitorum & omniū aliorū superSCRIPTORU[m]. nā reliquorū sortes relatiuē ad vigintiquatuor sacerdotes: ianitorū autē sortes nō relatiuē ad portiones sacerdotales, sed relatiuē ad portas iacta sunt. Et cecidit fors orientalis Solem'ahu. Iuxta quatuor plagas coeli erant quatuor portarū, non in ipso templo, sed in septo templi. ipsum enim templum vnicam tantum portam habebat, quæ respiciebat ad plagā orientalem. Prima ergo fors cecidit super portam orientalem qua ambulabatur directè ad portam tēpli. & Zechar'ahu filio eius viro prudentissimo & eruditio. Iuxta hebreum habetur. cōsiliario cū intellectu. Excellentia istius vivi obtinuit ut seorsum à patre sortem haberet. Vnde & hebraicē clare subiungitur immediate. fecerunt cadere sortes, & exiuit fors eius ad sinistram. hoc est ad aquilonem. singulariter enim narratur quod isti Zachariæ fecerunt cadere sortes, quāvis esset filius Selamiae cui obtigerat prima porta. Hobed' edom verò & filii eius ad austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium. luxta Hebreum habetur. Hobed' edom ad dextram: & filii eius dominus conciliorum. Dextra appellatur pars meridionalis quam

Aaa iiiij sortitus

sortitus est Hobed' edom, & filij eius sortiti sunt domum cōuentuum. dictio enim hebraica non sonat conuentum ad cōfiliandum determinatē, sed conuentum. Intelligimus tamen de conuentu ad consilium sacerdotum & Levitarum: denominato ab eo quod cōuenirent illuc etiā qui causas spectantes ad sacerdotū seu Leuitarū iudicium habebant. Suppim & Chose ad occidentem iuxta portam qua ducit ad viam ascensionis. Legendum est: ad occidentem, cū porta Sallecheth in via ascensus. Ita quod istis duobus data est porta occidentalis simul cum porta nominata Sallecheth. Et aiunt portā hanc esse per quā proiiciebātur res immundæ: & describi in via ascensionis ad superiores partes. custodia cōtra custodiā. De catoribus scriptū est superius custodia ē regiōne, & non est scriptum custodia contra custodiā: quia cantores ē regiōne sacerdotū stabāt, ianitores verò nō ē regiōne sacerdotū, sed ē regiōne ianitorū erāt: & propterea de eis scribitur custodia cōtra custodiā, ita quod vna erat ē regiōne alterius. Ad orientem verò. Superfluit verò. Narratis sortibus ianitorū, narratur numerus viorū in singulis custodiis. Leuita sex. In porta orientali (qua itur ad altare holocaustorū & ad faciem tēpli directē) maior numerus ordinatus est. ad Aquilonem per diem quatuor. Ad difserentia noctis (qua clausæ erant portæ) fit mētio diei: & refertur ad ambas portas, orientis & septentrionis. Et similiter intellige de subiunctis portis aliis. ad meridiem per diem quatuor: & rbi erat concilium bini & bini. Hebraicē habetur. & ad conuentus duo duo. Eadem dictio repetitur quæ paulo ante interpretata est concilia: & non quatuor, sed duo ianitores in domo conuentuum describuntur. Et dicēdo duo duo, innuit quod plura erant loca conuentuum, & singula habebāt duos ianitores. In cellulis quoque ianitorum ad occidentem: quatuor in via, binique per cellulas. Iuxta hebræum habetur. Ad Parbar ad occidētem quatuor in via, duo ad Parbar. Paulus superius in sorte occidētali descripta sunt duo. videlicet ipsa porta occidētalis & porta Sallecheth per viā ascensionis. hic quoque describēdo numerū ianitorum in porta occidētali, duo nominātur (videlicet Parbar & ipsa plaga occidentalis) & aīsignantur ianitores quatuor viæ, duo autem ad Parbar. Hebrei putant Parbar nomen esse proprium loci extremi: quidā autē interpretatur domū instrumentorū: antiquis autē interpres celulas ianitorū. Collatio autē huius particulæ cum superiori, monstrat

mōstrat quod est nomen portæ quæ appellata est Sallecheth; quoniam locus extremus erat. Ad septentrionem verò & meridiem quaterni per dies singulos mutabantur: & ad basilicam concilię ad occidentem bini habentes subiectos alios in via, binique per cellulas. Tota hæc clausula superflua est: in hebræo enim nō habetur. *Iste sunt divisiones ianitorum, de filiis Chorchi & de filiis Merari.*

Porro Achias erat super thesauros domus domini. Deficiunt duæ dictiones: legendū est. Et Leuita: Achiā super thesauros domus Elohim. Expeditis distributionibus ianitorū, narratur distributio præfectorū ac iudicū, non quorūcunque, sed Leuitarū: illorū scilicet sex milliū quorū mētio facta est supputando triginta octo millia numeratos Leuitas à trigesimo anno & supra. & propterea præmittitur & Leuita: subauditur enim sunt subiūcti præfecti. Vbi adverte q̄ licet reliquæ partes Leuiticæ fuēint distributa per sortes, pars tamen ista cōtinens præfectos nō narratur distributa per sortes, & rafa sanctorum. Hebraicē habetur. & thesauros sanctitatū. Nemiri distingui thesauros sanctitatum à thesaurois domus dei: cum inferius etiam thesaurois domus Elohim antedictis addātur thesauri domus Iehouah, & postea thesauroi sanctificatorum à regibus: diversitas enim thesaurorum significatur. Filij Lab'dan filij Ghersoni: de Lab'dan capita familiarium de Lab'dan Ghersoni, Ichielii. Filij Ichielii: Zetham & Ioel frater eius, super thesaurois domus domini. Hamramiis, Izharitiis, Cheb'ronitiis, Hazieliitiis. Hebraicē habet. Ad Hāramitas. ad Izharitas: ad Cheb'ronitas, ad Hazieliitas. Nomina sunt gētilia: hoc est quatuor gētium à quatuor fratribus filiis Cehath. & tanq̄ rubrica præponitur subiūctorū per totum hoc cap. Vnde statim subditur de filiis Hamram per Mosem dux super omnes thesaurois. Et Sebuel filius Gherson filij Mosis, præpositus thesaurois. Hebraicē habetur. dux super thesaurois. iste enim ex stirpe Mosis, caput omnium super thesaurois significatur. Et frater eius Elihezer. Hebraicē habetur. Et fratres eius ad Elihezer. hoc est & fratres eius descendentes ab Elihezer. cuius filius Rechab'ia, & huius filius Iesah'ia, & huius filius Ioram, huius quoque filius Zich'ri, & huius filius Selomith. Totus iste contextus corruptus est: nam hebraicē non textur genealogia filij, nepotis, pronepotis &c. sed describuntur quinque fratres originem habentes ab eodem: nam scribitur. Rechab'ia filius eius & Iesah'ia filius